

essentia. Tam denique: Relationes sunt eternae, & immutabiles ratione essentiae: ergo etiam existunt existentia essentiae, & ratione essentiae.

39 Potest responderi cum alijs, concedendo antecedens, & negando consequentiam. Quia licet eadem res non possit terminari duobus terminis eiusdem rationis, bene tamen diverge rationis, quales sunt existentia absoluta, & relativa; ut contingit in Christo Domino, qui est sanctus sanctitate substantiali, & accidentaliter.

Contra est: Nam quilibet existentia ita est ultimus terminus, quod ponat rem extra omnes causas; sed eo ipso nequit terminari alia existentia: ergo repugnat, eandem rem terminari duobus existentibus, etiam sine diverge rationis. Minor probatur: alias nulla ex illis esset ultimus terminus. *Maxime*: quia propter eandem rationem eadem quantitas nequit terminari duplici figura, quamvis essent diverge rationis. Exemplum non est ad rem: quia Christus Dominus propterea est sanctus sanctitate accidentaliter, adhuc supposita sanctitate substantiali, quia haec non confert omnes effectus sanctitatis, videlicet esse principium operationum supernaturalium, & aliunde communicatum finito modo: cuius oppositum contingit in existentia absoluta respectu relationum.

## §. III.

## Sententia contraria.

40 **O**ppositam opinionem teneat Scotus in 1. dist. 11. quaest. 2. ad 2. Suarez lib. 3. de Trinitate, cap. 5. & alij, quos referunt N. Salmant.

Et arguitur primò ab auctoritate: Nam D. August. lib. 7. de Trinitate, cap. 4. ait, quod aliud est esse Deum, & aliud esse Patrem: ergo cum haec verba non possint intelligi de alicetate reali, ut exponit D. Thomas in hoc art. ad 1. intelligenda sunt de diverso esse secundum rationem. ¶ Confirmatur primò ex N. Cyrillo dialog. de Trinitate, lib. 1. ubi loquens de Patre, & filio sic ait: *Cum uterque sit, ac subsistat, propriamque habere dicatur existentiam.* ¶ Confirmatur secundò ex Richardo de Sancto Victore lib. 4. de Trinitate, cap. 16. ubi concedit in Deo communem existentiam, & cap. 17. admittit tres existentias incommunicabiles & relativas.

Ad argumentum respondetur, S. Doctorem in illo loco solum loqui de enuntiatione propositionis, quatenus aliquid potest praedicari de Patre, quod non potest praedicari de Deo, prout est concretum Deitatis; non verò loquitur de esse existentia. Videatur Div. Thomas quodlibet. 12. art. 1. ubi sic Augustinum expo-

nit. ¶ Ad utranque confirmationem respondetur, Cyrillum & Richardum nomine existentia intelligere substantiam.

41 Arguitur secundò: Relatio creata habet propriam existentiam distinctam ab existentia substantiae, & sui fundamenti: ergo etiam relatio divina Antecedens est certum apud nos: quia omnia accidentia, & praecipue si sunt entia completa, habent propriam existentiam. Consequentia vero probatur: tum à paritate. Tum etiam: quia esse propriam existentiam est perfectio; sed non est, cur haec perfectio competat relationi creatae, & denegetur relationi divinae: ergo.

Et confirmatur: Relatio creata existit per existentiam relativam: ergo etiam relatio divina. Antecedens probatur: Nam totum esse relationis est ad aliud se habere, sic enim definitur; sed esse seu existentia absoluta non est ad aliud, sed ad se: ergo existentia relationis creatae est relativa. ¶ Confirmatur ulterius: Actus & potentia debent esse eiusdem generis, ut docet Arist. 9. Metaph. text. 13. ut sic proportione: ergo, cum existentia relationis sit actus illius, debet esse relativa.

Ad argumentum respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam, ob multiplicem rationem disparitatis. Nam in primis nullum inconveniens ex recensitis §. 1. v. r. get, ex eo quòd relatio creata asserat propriam existentiam: cum in relationibus divinis maxime urgeant. Deinde relatio creata, utpotè distincta realiter à substantia, & eius fundamentum, cum pertinet ad diversum praedicamentum; non potest existere existentia substantiae & sui fundamenti: cum tamen relatio divina, utpotè indistincta à natura, & includens eam & suam existentiam per transcendentiam, possit recipere suum effectum formalem existendi. Rursus: existentia relationis creatae est absoluta, ut num. 35. satis probatum est: cum existentia relationis divinae, si eam assereret, non posset non esse relativa. Tandem relatio creata per conceptum ad importat conceptum in absolutum, cui per se primò competit existentia, quae est absoluta, cui conceptui correspondet in divinis natura divina, ac proinde debet existere existentia essentiae. Et licet asserere propriam existentiam sit perfectio in relatione creata, est tamen admixta pluribus imperfectionibus, quae omnino relegandae sunt à Deo.

Ad primam confirmationem respondetur, negando antecedens. Et ad eius probationem dicendum est, quòd cum dicitur totum esse relationis esse ad aliud, intelligitur de esse constitutivo, & essentiali illius: quia his verbis exponitur definitio essentialis relationis; & cum existentia cuiuslibet rei creatae distinguatur realiter ab ipsa, non debent intelligi de esse existentiae. Ad secundam satis constat ex dictis n. 35.

Ac-

42 Arguitur tertio: Nam in Deo praeter substantiam absolutam dantur tres subsistentiae relativae: ergo praeter existentiam absolutam essentiae debent etiam dari tres existentiae relativae. Consequentia probatur: tum à paritate. Tum etiam: quia subsistentia est quasi ultima dispositio & complementum ad recipiendam existentiam: ergo si multiplicatur subsistentia, etiam existentiae debent multiplicari.

Respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Disparitas constituit in eo, quòd cum natura divina sit summe secunda, petit communicari per veras processiones tribus personis realiter distinctis, & incommunicabilitate oriri non possit à subsistentia absoluta, quia ut saepius traditum est, omnis incommunicabilitas debet oriri vel ex limitatione, vel ex oppositione relativa, necessario admittenda sunt tres subsistentiae relativae. Haec autem ratio non militat in existentia: Tum, quia omnes existentiae praestant eundem effectum formalem. Tum etiam: quia de ratione existentiae non est incommunicabilem contituere naturam; cum hic conceptus sit proprius personalitatis. Tum denique: quia conceptus proprius existentiae, cum sit ad se, non est relativus, sed absolutus. His ergo rationibus, etiam in Deo dantur tres subsistentiae relativae, non debent admitti tres existentiae. Per quod constat ad utranque probationem.

43 Arguitur quarto: Instantiam relationes existerent existentiae naturae divinae, in quantum illam includant per modum transcendentis; sed hoc non sufficit: ergo. Minor probatur: Nam existentia est ultima actualitas adveniens post omnia, quae pertinent ad rationem atomam cuiuslibet rei; sed quod in alio invenitur per modum transcendentis non est posterius eo, per quod transcendit, ut ex se liquet: ergo haec transcendentia non sufficit, ut relationes existant existentiae naturae.

Ad hoc argumentum respondetur, quòd ut relatio recipiat effectum formalem existentiae absolutae, sufficit, quòd à parte rei identificetur formaliter: ut velit nolit Suarius debet concedere in attributis. ¶ Nisi dicat, attributa existere per existentiam essentiae, non quia existentia transcendit per ea, sed è converso quia attributa transcendunt per existentiam essentiae, quatenus hoc modo sunt aduabiles per eam. Fatetur equidem interveniri hanc disparitatem inter relationem, & attributum. Sed non deficit aliud exemplum materiae, de qua agimus, satis accommodatum. Nam aeternitas est duratio, per quam relatio constituitur in suo esse, ab ea quae accipit suum effectum formalem, idemque dicendum est de immutabilitate, & immensitate; & tamen haec attributa non communicantur relationibus diverso modo, ac existentia essentiae. Idem ergo fieri debent Adversarij de existentia.

Paul. Thol. Salm. Tom. II.

Igitur existentia non reddit relationes existentes, nisi quatenus vniur eis per modum ultime aduualitatis. Ad quòd sufficit, quòd natura identificetur cum eis: nam eo ipso quòd natura sit realiter identificata cum relationibus, potest eas trahere ad participandum suum esse, itaut hoc ponatur super ipsas relationes. ¶ Nec huic doctrinae officit, quòd existentia naturae est prior relationibus. Nam ex hoc tantum sequitur, quòd existentia sit actus ultimus per se primò debitus essentiae tanquam primario perfectibilis: cum quo recte cohaeret, quòd postea comparetur per modum ultime aduualitatis ad relationes tanquam ad secundariam perfectibile. Quòd potest elucidari optimo exemplo: Etenim homo in rebus Philosophia existit vnica existentia spiritali, quae facit existentes partes substantiae de novo per nutritionem homini advenientes, quibus tempore praexistit; non alia ratione nisi quia materia prima identificat sibi praedictas partes, & hac ratione trahuntur ad esse totius compositi. Cum ergo relationes divinae, etiam quodammodo existentiam absolutam supponant, in unum Deo conveniant, quàm homini partes praedictae, non est, cur existentia absoluta Dei non se extendat ad illas formalizandas per modum ultime aduualitatis.

A p uribus alijs argumentis super sedens, vel quia pertinent ad Philosophiam: vel quia pertinent ad alios tractatus Theologicos, ubi enodantur: vel quia etiam pertinent directe ad hunc tractatum, ex superioribus dictis in illo satis constat ad ea.

## DUBIUM IV.

An Relationes divinae asserant propriam perfectionem relativam?

44 **A**nte omnia ut certum contra Durandum, & Scotum supponimus, relationes divinas sive ut identificatas formaliter cum essentia, sive ut virtualiter distinctas ab ea dicere infinitam perfectionem. Prior pars legitime interturbat ex secunda. Quae sic probatur: quia relatio, ut virtualiter distincta ab essentia, includit eam essentialiter; & per transcendentiam rei: siquidem distinctio inter eas non est excludens & exclusi, sed includens & inclusi: ergo ut distincta ab essentia dicit infinitam perfectionem. Vnde sicut haec praedicatio est vera & formalis, Relatio est essentia; ita haec, Relatio est perfectio.

Quòd ergo ad examen vocamus, est: An sicut attributa praeter perfectionem essentiae, quam per transcendentiam includunt, asserunt ex vi proprii conceptus perfectionem propriae lineae a perfectione essentiae virtualiter distinctam; ita relationes praeter perfectionem essentiae & attributorum, quam implicite transcendentia-

G

liter



liter dicunt, insuper secundum expressum conceptum perfectionis afferant propriam perfectionem a perfectione essentiae, & attributorum virtualiter distinctam?

Sed ut rem hanc cum maiori distinctione discutiamus: Adverendum est ex infra dictis, relationem, prout ab assoluto distinguitur, integrari ex duplici munere, in videlicet, & ad, in sententia Salmanticensium. Sed iuxta mentem aliorum Thomistarum ex duplici expressione ipsiusmet *Ad*, quae expressiones diversis nominibus solent insigniri ab his Authoribus. Hae sententiae licet alias videantur distinctae, non tamen quoad praesens, quia omnes inquirunt, an vnum, vel aliud munus, aut utrunque exprimat propriam perfectionem relativam: Pro quo sit:

## §. I.

*Nostra, & communior sententia.*

45 **D**icendum est, relationem divinam secundum nullam conceptum propriam relationis, prout distinctum ab absoluto, afferre perfectionem propriam & distinctam a perfectione essentiae, & attributorum. Hae conclusio proculdubio est D. Thomae: & desumitur ex Magno Parente Augustino, ut proxime videbimus: quam sequuntur communiter Thomistae Capreolus, Ferrara, Caiet. Bañez, & alij ex discipulis D. Thomae, & extra eius Scholam: quos referunt, & suffragantur N. Salm. in *praef. disp. 6. dub. 2.*

Et probatur ex D. August. tum *6. de Trinit. cap. 2.* ubi ait, quod magnitudo in Deo est ad se & absoluta, non vero ad aliud & relativa; sed magnitudo Dei, teste D. Thoma infra quae. *42. art. 1. ad 1.* significat eius perfectionem: ergo omnis perfectio Dei est absoluta, & nulla datur relativa. Tum in quae. *de Trinit. ubi* aequiparat magnitudinem & bonitatem Dei eius omnipotentiae & aternitati, & eodem modo negat, posse dici *tres Bonos* aut *tres Magnos*, ac *tres Omnipotentis* seu *tres Aternos*: ergo ex mente Augustini sicut in Deo tantum datur unica omnipotentia & haec absoluta, ita datur sola unica & absoluta bonitas; haec coincidit cum perfectione: ergo in Deo non datur iuxta mentem Augustini perfectio relativa.

Confirmatur ex D. Thoma loco proxime relato *art. 4. ubi* ex eo colligit, Patrem & Filium esse aequales in perfectione, quia sunt eiusdem numero naturae. Si autem relationes haberent aliquam perfectionem relativam non recte colligeret, Patrem & Filium esse aequales in perfectione: quia, supposita equalitate in perfectione essentiae, restaret probandum, Patrem non excedere Filium in perfectione relativa. Et ad 2. idem probat, ex eo quod perfectio spectat ad essentiam: ergo sentit non dari perfectionem relativam.

26 Deinde probatur ratione ex praedictis testimoniis de prompta: Nam omnis perfectio est absoluta: ergo relationes divinae intra proprium genus non important aliquam perfectionem virtualiter distinctam a perfectione essentiae, & attributorum. Antecedens probatur: Nam perfectio est praecise in substantia, & accidentibus; sed in omnibus his est absoluta: ergo. Probatur minor quoad substantiam: Nam extenus haec est perfecta, quatenus sortitur modum sibi convenientem, sed hic modus est ad se & absolutus: ergo perfectio substantiae est absoluta. Quoad accidentia etiam ostenditur: nam haec habent suam perfectionem, secundum quod deserviunt substantiae, & dicunt ordinem ad subiectum; sed hic est absolutus: ergo perfectio accidentium nequit esse relativa.

47 Respondent Adversarij, ad perfectionem sufficere, quod res in se habeat integritatem in sua ratione formali: quia, ea supposita, praedicta res habet modum sibi consonum, debitum, & convenientem.

Sed contra est: Nam mathematicalia, ratio specifica hominis, & ratio *veri*, si cum praecisione suam rationum formalium sumantur, non sunt bona & perfecta; & tamen habent integritatem in suis rationibus formalibus: ergo non qualiter integritas in sua ratione formali sufficit ad rationem perfectionis. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur: Tum, quia ita docet D. Thomas *quae. 21. de Veritat. art. 2. ad 4.* Tum etiam: quia ratio perfectionis convenit rebus per existentiam & per ordinem ad existentiam; sed praedicta, si cum praecisione sumantur, praescindunt ab existentia: ergo non sunt bona & perfecta.

Confirmatur: Illa integritas requiritur ad perfectionem, quae habet modum sibi debitum & consonum; sed ratio *debiti* & *consoni* est absoluta: ergo integritas dicens perfectionem est absoluta. Minor probatur: Ratio *consoni* & *debiti* sumitur per ordinem ad ipsam rem, cui consonum est, non per ordinem ad terminum; sicut esse dissonum sumitur per ordinem ad subiectum, cui dissonum est: ergo ratio *debiti* & *consoni* est absoluta.

48 Confirmatur *secundo*, ex discrimine inter relativa transcendentalia, & praedicamentalia: Nam propterea relativa transcendentalia, adhuc ut considerantur secundum proprias suas rationes, hoc est per ordinem ad suum obiectum specificativum, dicunt perfectionem, quia adhuc in hac consideratione sunt ad se seu ad subiectum; alias non distinguerentur a relativis praedicamentalibus; sed idem est esse ad se seu ad subiectum, ac habere modum sibi consonum & debitum, ut ex se liquet: ergo omnis perfectio est ad se, seu absoluta.

Explicatur hoc: Nam ad perfectionem non sufficit respicere subiectum, sed viterius quoad

quod respiciat illam tanquam mensuram proximam, sed relativa praedicamentalia in hoc distinguuntur a transcendentalibus, quod illa respiciunt subiectum tanquam sui mensuram proximam, & illa terminum: ergo omnis perfectio est absoluta. Maior, in qua tantum potest esse difficultas, suadetur: Nam omnis perfectio rei fundatur in consonantia ad seipsam, seu ad suum subiectum, siquidem ordinatur ad illam, vel illud perficiendum: ergo debet respicere subiectum tanquam mensuram proximam.

Hinc oritur, quod relatio nec sit perfectio termini. Tum, quia id quod perficit aliud, debet illud afficere; sed relatio non afficit terminum, sed ei opponitur: ergo. Tum etiam: quia, ut aliud sit perfectio alterius, requiritur, quod prius in se sit perfectio: ergo haec perfectio per prius non est per ordinem ad terminum, sed ad se: ergo vel non est perfectio, vel est absoluta.

## §. II.

*Aliud fundamentum ab inconvenienti.*

49 **P**robatur viterius ratione ab inconvenienti. Nam si relationes divinae important perfectionem propriam relativam, vel esset diversa in tribus personis, vel eadem; neutrum dicit potest: ergo. Minor quoad primam partem probatur: Tum, quia una persona esset perfectior altera: siquidem perfectiones illae distinguerentur specie aut quasi specie, sicut ipsae relationes (distinctae pure numerica non habet locum in Deo) sed ea, quae distinguuntur specie, ita se habent, ut vnum aliud excedat, cum se habeant sicut numeri, quorum vnus excedit ab alijs: ergo. Tum etiam, quia una persona non esset ita perfecta sicut omnes tres; sed hoc est contra symbolum Athanasij, ubi dicitur: *Tota tres persona coaeterna sibi sunt & coaequales*: Est contra Concil. Later. ubi definita manet aequalitas personarum: Est denique contra D. August. *serm. 3. de Temp.* ubi ait: *Tantum est solus Pater, quantum est simul Pater, & Filius, & Spiritus sanctus*: ergo non est diversa in omnibus. Adde *primo*: Nam si afferent perfectiones realiter distinctas, dicerentur in Deo *tres boni*; sed hoc est contra Augustinum relatum num. 45. ergo perfectiones huiusmodi nequeunt esse diversa in tribus personis. Adde *secundo*: Quia iam Pater non esset infinite perfectus; cum non haberet omnem excoGITabilem perfectionem; sed hoc est contra fidem: ergo.

Quoad secundam partem dilemmatis probatur eadem minor primi syllogismi. Quia relationes sunt diversae: ergo perfectiones & bonitates. Consequentia probatur: Tum, quia quando formae sunt diversae, etiam omnes effectus

formales debent distingui: si realiter, realiter; si virtualiter, virtualiter: ergo cum relationes sint realiter distinctae, si ex se afferunt propriam perfectionem, debent perfectiones earum distinguari realiter. Tum etiam: quia propterea aliae formalitates, quae concomitantur entitatem generaliter sumptam, multiplicantur realiter, ut infra dicemus, quia multiplicantur entitates relationum: ergo etiam bonitates & perfectiones deberent multiplicari.

50 Huic satis efficaci rationi respondent *primo* Suarius, Granados, & alij concedendo primam partem dilemmatis. Et ad eius probationem dicunt, quod vt verificetur, Filium (v.g.) esse infinitum & aequè perfectum, ac tres personas simul, sufficit, quod includat in se formalitatem naturam divinam, ratione cuius continet eminenter perfectionem omnium relationum. Solum inferri valet, quod tres personae simul sunt extensive perfectiores qualibet persona. Ex quo nullum sequitur absurdum; sicut nec ex eo quod Christus vt *Deus* & *homo* dicatur perfectior extensive seipso praecise vt *Deo*.

Sed haec solutio enervatur *primo*, ex eo quod non occurrit testimonio D. Augustini: qui assererat non esse concedendum in Deo tres bonos; sed ex praedicta solutione necessario sequitur esse concedendo: ergo ex hoc capite ruit. ¶ Dicere autem, S. Doctorem loqui sibi de bonitate absoluta; non de relativa, opponitur S. Doctori. Tum: quia aequiparat bonitatem cum essentia & omnipotentia; sed essentia & omnipotentia taliter sunt in divinis personis, quod non multiplicentur absolute, aut relative: ergo in sententia S. Doctores nec bonitates multiplicentur absolute, aut relative. Tum etiam: qui enim assereret, omnipotentiam dici absolute, & relative, & primo modo esse vnam, & secundo modo multiplicari, aperte se opponeret Div. Augustino, quia esset, omnipotentiam dici ad se; sed eisdem verbis asserit, bonitatem esse vnam & ad se: ergo qui asserit, bonitatem multiplicari relative, & non absolute, aperte opponitur Div. Augustino.

51 *Secundo*: Ubi datur distinctio specifica inter aliqua in ratione perfectionis, etiam debet dari excessus intensivus, & non solum extensivus, in ea; sed relationes distinguuntur specie aut quasi specie inter se: ergo si dicunt perfectionem, nequit non vna esse intensiva perfectior altera. Maior, in qua tantum potest esse difficultas, suadetur: tum inductivè. Tum etiam ratione: nam ratio specifica addit novam actualitatem formaliter; sed nova actualitas formalis addens propriam perfectionem, nequit non addere speciale perfectionem intensivam, ut liquet in attributis, ex quibus si vnum non in claretur in alio, esset perfectius, aut imperfectius intensivè: ergo.

Roboratur hoc: Non minus eminenter



continet natura divina attributa, quam relationes; sed perfectius est intensive in natura divina continere perfectionem attributorum tum eminenter, tum formaliter, quam continet precise eminenter: ergo si relatio addit propriam perfectionem, perfectius est intensive, naturam divinam continere eam formaliter eminenter, quam precise eminenter. Minor probatur: Tum a paritate naturæ humanæ, quæ radicaliter eminenter continet suas proprietates; & tamen perfectior intensive est natura humana, dum est formaliter cum suis proprietatibus, dum est præintelligitur illis: ergo idem dicendum est de natura divina. Tum etiam: quia natura divina ut continens precise eminenter perfectionem attributorum, est sic infinite perfecta in linea naturæ, non tamen perfectione adequata divina; sicut nec est infinita absolute, nisi prout includit formaliter omnia attributa: ergo perfectius est intensive continere perfectionem attributorum formaliter eminenter, quam precise eminenter.

52 Neque his patet aliud effugium, nisi dicendo esse notam disparitatem inter perfectionem attributorum, & relationum: siquidem perfectio illorum est simpliciter simplex, secus vero istarum.

Sed contra est: Nam perfectio absoluta ab omni imperfectione est simpliciter simplex; sed si paternitas dicit propriam perfectionem, caret omni imperfectione: ergo esset perfectio simpliciter simplex. ¶ *Deinde*: Perfectio simpliciter infinita in sua linea nequit non esse simpliciter simplex; hæc enim ratione misericordia est perfectio simpliciter simplex, & eadem ratione est absoluta ab omni imperfectione, quod est proprium perfectionis simpliciter simplicis; sed perfectio paternitatis esset positive infinite in sua linea, non minus proprie quam perfectio misericordie in sua: ergo. ¶ *Tandem*: Si relationes dicerent propriam perfectionem, essentia divina pro priori ad relationes non esset positive & infinite perfecta, siquidem in illo signo anteriori adhuc non intelligeretur cum omnibus perfectionibus infinitis omnium linearum: ergo signum est, quod relatio adderet perfectionem simpliciter simplicem.

53 Exemplum de Christo nullum est. Quia Christus ut Deus continet formaliter omnem perfectionem simpliciter simplicem repertam in humanitate: alias vero perfectiones, quæ nequeant denudari ex suis conceptibus formalibus ab imperfectione, continet tantum eminenter: quia id quod addunt supra Deum, solum dicit quod quod imperfectionis est. Unde dicit Div. Thomas in 3. dist. 6. quest. 2. art. 3. ad 1. *Non potest fieri Deo additus aliquid boni, quod in ipso non sit*. Unde quidquid sit an Christus ut Deus & homo sit perfectior extensive, quam Deus solus; at precise ut Deus est summe per-

fectus propter traditam rationem. In nostro verum proposito vna persona tantum eminenter & radicaliter continet perfectionem alterius; & sic nulla esset summe perfecta.

54 Respondet *secundo* alij, quod in qualibet persona esset perfectio omnium relationum. Ad quod explanandum recurrunt non solum ad continentiam eminentialem & radicaliter ratione essentia, sed etiam ad circuminsersionem, hoc est, ad mutuam & reciprocam existentiam vnius persone in alia ratione eiusdem essentia: iuxta illud Ioann. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est*.

Sed contra est *primò*: Nam per hoc quod paternitas sit predicto modo in Filio, non tribuit illi suam essentiam formalem, nec formaliter & intrinsecè illam perficit; alias illam Patrem constitueret: ergo mutua existentia vnius persone in alia non sufficit ad salvandam æqualitatem earum in perfectione, si semel relatio afferat propriam perfectionem. ¶ *Secundò*: Modus habendi paternitatem (v.g.) constitutive perfectior est modo habendi eam per circuminsersionem seu identicè, ratione identitatis cum essentia: ergo, admittit perfectionem relativam in paternitate, vna persona non esset æquè perfecta, ac omnes tres.

## §. III.

## Duo alia effugia, &amp; eorum impugnationes.

55 **A**lia via ex diametro opposita incedit sapientissimus Mag. à Sancto Thoma, & conatur fundamenta nostra elevare. Etenim disp. 13. art. 3. à num. 8. solum admittit vnam perfectionem relativam in omnibus personis, ut salvet æqualitatem omnimodam in eis. Ratio, quia movetur ad descendendum esse vnam tantum perfectionem, quamvis sit relativa, est: quia in relatione est considerandum duplex munus seu respectus, & per ordinem ad terminum, quod appellatur *Ad*; & relatè ad subiectum, ad *esse*, & fundamentum. Relatio autem non dicit perfectionem ex ordine ad terminum, sed per ordinem ad subiectum, ad *esse*, & fundamentum. Cumque *esse*, subiectum, & fundamentum sit vnicum in divinis, inde est, quod perfectio etiam debet esse vnica.

Sed certè, si aliud probare intendit laudatus Magister, quam tenet communis Thomistarum sententia (quod dubitare poterit, quicumque eam legerit à num. 16. art. supra relati) illum rejicimus: Primò inquirendo ab eo, an perfectio, quam appellat *relativam*, sit eiusdem lineæ cum relatione absque distinctione virtuali, vel sit diversæ lineæ? Si primum dicat, non potest imaginari, quod talis perfectio communicetur vni persone, relatione eiusdem lineæ cum ipsa non communicata. Quia, ut diximus disp.

disp. 7. nam. 73. ex communi sententia Thomistarum, quando communicatur ad *intrà* munus alicuius lineæ, debet omnis linea communicari, & e contra: ergo si filio non communicatur paternitas, nec communicari debet perfectio paternitatis: ergo nec stare poterit, personas habere eandem perfectionem relativam. Si verò eligat *secundum*, sequitur, perfectionem illam esse absolutam. Et ratio est manifesta: nam id, quod in Deo distinguitur virtualiter à relationibus, est absolutum: ergo hæc perfectio est absoluta: quod est incidere in nostram sententiam.

56 *Secundò*: Repugnat, perfectionem esse relativam, & desumi per ordinem ad *esse*, ad subiectum, & fundamentum, & non per ordinem ad terminum: in hoc enim distinguit Div. Augustinus prædicata absoluta à relativis *secundum esse*; quod illa sunt ad se, & relativa ad aliud: ergo manifestam implicationem involvit, quod perfectio desumatur per ordinem ad subiectum, & quod sit relativa. ¶ *Tertiò*: Nam, multiplicatis realiter formis, debent omnes effectus formales ab eis provenientes multiplicari, quidquid sit de connotato: & propterea perfectiones multiplicantur in composito hominis ad multiplicationem tot entitatum, quæ ad illius constitutionem concurrunt, est connotent idem *esse*, per ordinem ad quod desumitur omnis eius perfectio: sed forma, à quibus perfectio relativa proveniret, essent realiter distinctæ: ergo etiam perfectiones. *Roboratur*: Personæ ut *subsistentes* non expriment munus illud *Ad*, secundum quod relatio dicit ordinem ad terminum, sed expriment esse ad se; & tamen sub hoc conceptu sunt realiter distinctæ: ergo etiam relationes distinguuntur realiter, secundum respectum quem dicunt ad subiectum & ad *esse*; ac proinde perfectiones erunt distinctæ realiter.

Adde: Nam idem Magister disp. 16. art. 1. à num. 31. contra Ferraram, & N. Salm. docet, non inveniri in relatione, prout ab essentia virtualiter distincta, nisi vnicum munus, licet cum duplici expressione, hocque appellat munus *Ad*; sed in præfati statuit, relationem non dicere perfectionem secundum munus *Ad*: ergo relatio absolute non dicit perfectionem propriam.

57 Zamel via media incedit: siquidem nec concedit cum suo perfectiones realiter distinctas; nec admittit cum Lisbonensi vnicam omnino indivisibilem: sed docet esse virtualiter distinctas: Et ex hoc salvat, nullam perfectionem esse realiter in vna persona, quæ non sit in alia, Sic in *pres. concia. tertis*.

Sed hæc solutio haud melior est præcedentibus. Nam ex illa sequitur, esse realiter distinctas: Ideo enim hic Author probat distinctionem virtuali in perfectionibus, quia est

perfectio virtualiter superaddita essentia; ut pote relativa; sed hæc ratio probat esse realiter distinctas: ergo. Probatur minor: Nam, supposita illa distinctione virtuali inter perfectionem essentia, & relationis, perfectio relationis provenit à relatione, ut relatio est; sed relationes paternitatis & filiationis, secundum totum id quod superaddunt virtualiter essentia, distinguuntur realiter, ut infra disp. sequenti dicemus: ergo etiam perfectiones.

Confirmatur *primò*: Quia perfectiones iustitiæ, & misericordie proveniunt ab ipsis secundum proprias rationes, perfectiones earum distinguuntur eodem modo ac illa: ergo si perfectiones relationum proveniunt ab ipsis secundum proprias earum rationes, debent etiam distinguui eodem modo ac ipsæ relationes. ¶ Confirmatur *secundò*: Nulla formalitas de genere relativo est in paternitate, quæ realiter identificetur cum filiatione, secundum id quod dicit de linea filiationis: ergo omnis effectus formalis proveniens à paternitate, quatenus paternitas est, debet distinguui realiter ab omni effectu formali filiationis, ut filiatio est; sed perfectio paternitatis, si virtualiter distinguatur à perfectione essentia, provenit à paternitate formaliter, ut paternitas est, ut ex se constat: ergo debet distinguui realiter à perfectione filiationis.

Adde quia hic Author in hac 1. part. q. 30. art. 1. dist. ult. 3. in medio arguit contra Caiet. non dari in Deo tres perfectiones infinitas realiter distinctas, quia *perfectio* est nomen absolutum, & absoluta non multiplicatur in divinis: ergo sentit, nullam dari perfectionem in Deo præter perfectionem essentia, & attributorum. Item; supra quest. 5. art. 1. quest. unica conclus. 4. asserit, quod bonum in suo conceptu formali dicit perfectionem absolutam: idem statuit pro conclus. 2. art. 4. eiusdem quest. sed bonum & perfectum dicuntur ad convertentiam: ergo omnis perfectio est absoluta, atque ideo relatio non asserit perfectionem relativam.

## §. IV.

## Duplex alius opinandi modus: eiusque evasio.

58 **V**ltimam questionem videbamus notavimus duplicem in hac materia discutendi modum satis peregrinum. Primum est Vicentij Contenson, qui in præf. disert. 2. speculat. 3. suam sententiam ad hos terminos reducit. Ait enim, relationes divinas importare propriam perfectionem relativam, sed perfectionem vnius persone non esse perfectiorem, quam alterius: quia est *persona* sunt primò & quasi specie di-



verse, tamen perfectiones relativæ distinguuntur solum numero. Quod ex eo sibi persuaderi quia personæ habent perfectionem penes respectum ad terminum, in quo omnes relationes conveniunt, nec adinvicem exceduntur. Nec pluribus firmat suam opinandi modum, sed agglomerat, quæ non negamus, scilicet relationes divinas dicere perfectionem absolutam.

Verum hæc discurrendi modus deficit, & impugnat doctrinam duobus §§. præcedentibus stabilita. Et *insuper*: quia inaudita est inter Thomistas distinctio puræ numerica in rebus puræ spiritualibus, qualis est Deus. *Rursus*: quia, esse posset imaginari, non deberet defuisti ex termino sui specificativo, sed ex subiecto, quod habet rationem materiæ. *Eò vel maxime*: quia intelligibile est, relationes divinas à termino, seu ad terminum specificatas distinguimus primò, & quasi specie inter se; & perfectiones relativæ idem specificativum habentes solum numero distingui. Nec elevat Contenton inconveniens sæpè representatam, Patrem scilicet non esse summè perfectum: siquidem admittit Patri deficere perfectionem Filij, si, vel non numero aut specie diverfa, absoluta, vel relativa.

59 Secundus opinandi modus supponit, ex N. Salmant. disp. 5. dub. 3. specialiter a num. 80. & disp. 6. à num. 62. relationes divinas habere intra propriam lineam absque via imperfectione, quod creatæ habent imperfectionibus admixtæ. In relationibus autem creatis datur triplex conceptus seu modus, *in* scilicet absolutum, *In* relativum, & *Ad* idem relativum, ex quibus prius illud *In* importat perfectionem absolutam distinctam à perfectione absoluta subiecti, & relationis propriam: iuxta quam proportionem relationes divinas importare debent perfectionem peculiarem correspondentem illi perfectioni relationis creatæ, & distinctam à perfectione essentiali, sicut perfectio relationis creatæ est alia à perfectione subiecti, cuius vicem gerit essentialis in divinis.

Quod amplius ex eo confirmat: quia relationes divinas conveniunt in hoc, quod est identificari cum essentiali, quod sanè est perfectio, & cullibet relationi intrinseca. Si verò ab Authore huiusmodi dicendi inquiratur, an perfectio illa sit absoluta, & virtualiter à conceptu relativo distincta, affirmativè responderi: quia est (inquit) æquivalens conceptui *In* absoluto relationis creatæ. Neque penitus determinat, an multiplicetur, sicut & relationes: nam qua parte omnes debent importare propriam *In*, nequit non multiplicari: sed qua parte conveniunt in identificatione cum essentiali, non apparet caput multiplicationis; nam si esset diverfa perfectio, certè non convenirent in ea: & in hoc magis inclinatur. Hæc est meditatio quindam Theologi aliis factis cruditi.

60 Sed deficit etiam hic modus, & exercitur. Nam est mirandum Salmanticenses, qui ex doctrina Complutensium illud *In* agnovērunt in relatione creatæ, nihil tradere de æquivalenti in relatione divina. Et sanè non debuerunt, quia *In* relationis creatæ inest ei ob imperfectionem, siquidem ei munus inharrentiæ: unde sicut in sapientia diviæ non poterunt invenire *In* correspondens inharrentiæ sapientie creatæ ob summam illius perfectionem; sic nec in relatione divina invenire debuerunt *In* absolutum: quod (inconveniens non considerando) admittit hic Junior. Et vergetur impugnatio ex novitate doctrinæ: siquidem iuxta eam perfectio propria relationis, estò virtualiter à conceptibus relativis diverfa, est cum eis eiusdem lineæ; sed nullus Thomistarum dicit, unicam lineam in divinis consistere ex conceptibus virtualiter distinctis inter se: ergo contra omnes Thomistas procedit in adstruendo prædictum *In* absolutum.

Dicere autem, perfectionem illam relativorum multiplicari, est incidere in impugnationes superius adhibitas contra distinctionem sive numericam, sive specificam perfectionis relativæ, à quibus non se expediet. ¶ Adstruere esse unicam in omnibus relationibus, est incidere in graviora inconvenientia. Quorum primum nec contemnendum est, salvari in hoc modo dicendi, unicam lineam divinam de linea plurium linearum esse: quandoquidem conceptus ille *In* est de linea omnium relationum. *Secundum* est: aliquam lineam esse ad *intra* communicabilem penes unam formalitatem præcisè: siquidem Filio (v. g.) communicaretur illud *In* absolutum de linea paternitatis, à quo defumitur eius perfectio, paternitate ipsa non communicata. *Tertium* est: perfectionem illam esse prorsus inuicem: quia nunquam salutar, relationes intrinsece dicere perfectionem, sed per se perfectio, ne virtualiter distincta à conceptibus relativis; quo admissio potiori iure deberent præcisè perfectione essentiali. *Ultimum* (relictis alijs in præcedentibus §§. tactis) est: sequi ex hoc modo opinandi processum in infinitum. Nam si ex eo, quod relationes divinas conveniunt in identificatione cum essentiali, ponendus est conceptus absolutus medius inter essentiali & relationes; cum etiam conveniant in hoc, quod est identificari illi conceptui medio, adstruendus erit etiam alius medius inter ipsum, & relationes; de quo poterit fieri idem argumentum, ut prospicienti constabit. Maxime quia conceptus ille, si daretur, utpote divinus, non poterat se habere ad modum unionis, ad quam non datur alio unio.

\*\*\*  
\*\*\* \* \* \* \* \*

## §. V.

## Opposita sententia, &amp; aliqua eius motiva.

61 Sententiam oppositam tenent Suarez, Valentia, Granados, & alij eiusdem familiæ. Et ex Thomistis Ioann. à Sancto Thoma, Zamel, Lezana, Contenson, & alij. Quam solent pluribus Conciliorum, & SS. PP. testimonijs fulcire. Sed ab eis referendis & explicandis meditatio superfedemus: quia unum, quod non negamus, præcisè convincunt, scilicet relationes divinas dicere perfectionem; sed an ex conceptu relationis, vel ratione essentiali in eis inclusa non satis explicatur: & sic standum est nostris principijs.

62 Arguitur ergo primò: ex D. Thoma quest. 8. de Potent. art. 1. ad 1. ubi ait: *Divina essentia, quia comprehendit omnium generum perfectiones, nihil prohibet relationis in ea inveniri. Quæ illatio nihil valet, nisi relatio dicat propriam perfectionem. Et vergetur ex his, quæ tradit quest. 7. de Potent. art. 9. ubi hæc habet verba: Perfectio & bonum, quod est in rebus, non solum attenditur secundum aliquid absolutum in rebus, sed etiam secundum ordinem unius ad aliud: ergo in rebus invenitur perfectio relativa. His accedunt alia duo testimonia eiusdem Ang. Doctoris: primum habetur infra quest. 37. art. 3. ubi probat, conceptum personæ in Deo inveniri, quia *persona significat id, quod est perfectissimum in tota natura, scilicet subsistens in natura rationali*; sed art. 4. eiusdem quest. docet, quod *persona in divinis significat relationem*: ergo persona divina ratione relationis importat specialem perfectionem. Secundum est simile huic, & asseritur quest. 9. de Pot. art. 3. ubi, distinguens in persona naturam, & modum quo existit, ait: *Natura est dignissima, scilicet intellectualis, & modus existendi, quem habet persona, est dignissimus, scilicet, ut sit per se existens. Ex quo concludit, nomen personæ convenire Deo: ergo, si rectè concludit, non solum dicit perfectionem ratione naturæ, sed etiam ratione relationis, per quam habet illum modum subsistendi, & existendi.**

Et confirmatur ex D. P. N. Cyrillo lib. 1. Theaur. cap. 6. ubi de Patre æterno ait: *Non solum perfectus est, quia Deus, sed etiam quia Pater*: ergo non solum dicit perfectionem ratione Deitatis seu essentiali, sed etiam ratione paternitatis.

63 Ad argumentum ex varijs testimonijs D. Thomæ constatum responderetur, ex nullo eorum inferri relationem afferre perfectionem relativam. Ad duo enim priora ut dicamus; prænotata: in relatione creatæ præter conceptus genericos inveniri triplicem conceptum speci-

cum, nempe conceptum *Ad*, qui est omnino relativus, & per quem explicatur ultimatè essentiali relationis: conceptum *In*, qui etiam est formaliter relativus, quique non distinguitur à conceptu *Ad* nisi penes implicitum & explicitum: & denique conceptum *In* absolutum, qui virtualiter distinguitur à duobus prioribus, & præsupponitur ad illos tanquam fundamentum illorum: & est absolutus, quia contrahit proximè conceptum *In* absolutum analogum & communem omnibus accidentibus: certum est enim, quod conceptus communis absolutus nequit contrahi proximè nisi per conceptum absolutum: hunc ergo vocamus *In* absolutum *specificum*; & cum omnia prædicata absoluta dicant perfectionem, manifestè inferitur, relationem creatam afferre ratione prædicti conceptus aliquam perfectionem. At in relatione divina non datur nisi essentiali divina inclusa per modum *transcendentis*, quæ correspondeat conceptui *In* absoluto relationis creatæ, ut non obscure tradit D. Thomas quest. 8. de Potent. art. 2. his verbis: *Quod in rebus creatis est accidens, in divinis est substantia: oportet ergo relationem secundum rem esse divinam substantiam. Quæ propter sicut in relatione creatæ datur perfectio ratione huius conceptus *In* absoluti; ita in relatione divina ratione diviæ substantiæ seu essentiali, quod non negamus. Et hoc est, quod in priori testimonio intendit Div. Thomas, ve aperte colligitur ex ipsius verbis. At sicut in relatione divina præter divinam essentiali ipsi inclusam datur conceptus *Ad* & *In* relativus, ratione quorum nullam concedimus perfectionem; pariformiter relatio creatæ ratione conceptus *In* & *Ad* relativum nullam afferre perfectionem. Unde datur debita correspondentiæ & æquivalentiæ inter relationem creatam, & divinam. Per quod constat ad posterius eius testimonium, ad quod verificandum sufficit, quod in rebus in quibus invenitur ordo unius ad aliud, datur perfectio.*

64 Ut ad alia duo testimonia eiusdem Angelici Magistris respondeatur. Prænotabis etiam in persona divina includi bis naturam divinam, videlicet, & per modum *transcendentis*, & per modum *naturæ*: quia nisi includeretur in ea natura per modum *naturæ*, verificari non posset conceptus proprius *personæ*, ve aperte colligitur ex definitione personæ, quæ ita describitur: *Rationalis naturæ individua substantia*. Sensus ergo Div. Thomæ in prædictis testimonijs est, quod nomen *personæ* significat perfectionem, quia non solum significat relationem, sed etiam naturam per modum *naturæ*. Quocirca duplici titulo importat perfectionem, & quia includit naturam per modum *transcendentis*, & quia eam includit per modum *naturæ*. Ex quo nullatenus colligi debet, quod ratione relationis importet perfectionem rela-



relativam. Per quod constat ad confirmationem seu testimonium N. Cyrilli.

65 Sed insurges contra solutionem datam (& erit secundum argumentum) Relatio creata secundum Ad dicit perfectionem: ergo etiam divina. Consequentia liquet: quia ex eo probatur, perfectionem relativam non repugnare. Antecedens verò probatur: Nam relatio creata ratione Ad constituitur in determinata specie; sed omnis species creata dicit determinatam perfectionem: species enim constituitur ex genere & differentia, cuius differentia addit perfectionem generi, vt tradunt N. Complut. abbrev. in Log. disp. 7. à num. 16. ergo relatio creata secundum Ad dicit perfectionem.

Et confirmatur: Sicut in relatione creata datur conceptus In absolutus, ratione cuius inhæret subiecto, ita in relatione divina datur aliquis conceptus Illi correspondens, qui explicat rationem substantiæ sistentis in se; sed nobilior est conceptus substantiæ sistentis in se quam conceptus inhærendi subiecto: ergo si relatio creata intra proprium genus dicit perfectionem, etiam relatio divina.

66 Ad argumentum respondetur, negando antecedens. Cuius probationem optime diluunt N. Salm. tract. de Bonis. & malis. disp. 2. à num. 18. vbi prædictam doctrinam Complut. exponunt dicendo, quod de ratione differentie tantum est ex terminis addere determinationem generi, itaut si genus dicit perfectionem, differentia addat novam determinando illam priorem; si verò genus à perfectione præscindat, etiam præscindit differentia, esto addat generi determinationem: ad modum, quo communiter dicitur, actum secundum esse perfectionem & actualitatem habebis; taliter quod si habitus est de genere boni, actus sit eo melior: si verò malitiam importet, actus ei correspondens malus sit, imo peior, quia actualior. Que est doctrina Salmant. tract. 13. disp. 1. dub. 5. Ex quo solum inferitur, differentiam relationis addere generi relativo determinationem, sed non perfectionem.

Ad confirmationem respondeatur ex dictis num. 63. quod conceptus substantia repertus in relatione divina, & correspondens conceptui In absoluto relationis creata est natura divina. Ex quo tantum depromi potest, quod sicut relatio creata ratione In absoluti dicit perfectionem, etiam relatio divina ratione natura. Et licet conceptus sistentis in se, si est absolutus, sit nobilior quam conceptus inhærendi subiecto, fecus verò si est relativus. Et ratio discriminis est: quia prior ille conceptus est per ordinem ad subiectum, à quo tanquam à proxima mensura desumitur perfectio; at posterior conceptus est ad terminum, qui nequit esse mensura perfectionis.

Neque est dignam admiratione ( præog-

cupatur tacita obiectio) quod relatio creata, prout distincta à substantia creata, afferat aliquid perfectionis; & quod relatio divina, prout distincta à natura, illum non dicat: quia hoc oriri potest ex imperfectione relationis create, quæ ob sui limitationem petit distinguari à subiecto, illi inhære, & afferre propriam existentiam, & ob hanc rationem nequit non importare aliquem conceptum absolutum. Econtra verò quia natura divina est infinita, petit identificari cum relationibus, & ob hanc causam non requiritur, quòd in relatione divina detur alius conceptus absolutus præter naturam, neque alia perfectio distincta à perfectione essentis.

## §. VI.

## Aliorum argumentorum enodatio:

67 Arguitur tertio: Relatio divina secundum expressum relationis est infinita; sed omnis infinitas est perfectio, sicut omnis finitudo est imperfectio: ergo relatio divina importat propriam perfectionem. Maior probatur, Tum quia non est finita: ergo est infinita. Tum & præcipue: nam vt sit infinita in determinato genere, v. g. paternitatis, sufficit, quòd per modum actus puri dicat quidquid est de linea paternitatis, & quòd contineat eminenter omnem paternitatem creatam; vt constat in attributo misericordie, quæ his rationibus est infinita intra propriam lineam, seu in determinato genere, quamvis, vt sit absolute infinita, requiratur, quòd includat infinitatem aliarum linearum.

Et confirmatur multis: Nam imprimis relatio secundum expressum relationis est actus essentia; sed omnis actus dicit perfectionem, vt expressè docet Div. Thomas supra quæst. 5. vbi ait: *Omnis actus perfectio quadam est: ergo relatio secundum Ad dicit perfectionem.* Nec refert, si dicas, D. Thomam loqui de actu existentia. Non (inquam) refert: Quia omnis actus etiam entitativus est ad perficiendum. Deinde: Relatio divina importat realitatem distinctam à realitate essentia: ergo & perfectionem. Patet consequentia: Tum quia ens, & bonum dicuntur ad convertentiam. Tum etiam: quia ob hanc rationem habet alias proprietates entis. Rursus: Habet specialem integritatem formalem; sed perfectio consistit in hac integritate, iuxta illud Philo. *Perfectum est, cui nihil deest in proprio genere*: quam definitionem admittit D. Thomas supra quæst. 4. art. 1. Tandem: Paternitas (v. g.) dicit specialem convenientiam Patri, quia constituit illum connaturalissimè; sed solum id, quòd est perfectum, est convenientis: ergo.

68 Ad argumentum respondeatur, conceden-

## Dub. IV. An Relationes divine afferant propriam perfectionem etc.

dendo mai. & negando min. Quia non omnis infinitas ex hoc capite præcisè dicit perfectionem: vt liquet in vero divino (superaddito quodammodo enti divino & distincto à bono divino. Neque probatio ibi inclusa urget: Tum, quia magis requiritur ad bonum quam ad malum, & finitudo est de genere mali. Tum etiam: quia idem dicendum est de finitudine de genere relativo, sub quo secundum Ad nec dicit convenientiam, nec disconvenientiam subiecto.

Ad confirmationem ex multis coacerbatam respondetur eodem modo. Ad primum cum dicimus, solum illum actum, qui est ad subiectum propter ipsum subiectum sistentem ibi, dicentemque ex se ordinem ad existentiam esse perfectionem. Et relatio secundum Ad habet contrarios respectus, atque ideo, estò sit actus, non debet afferre propriam perfectionem. Quibus addi potest, quòd relatio secundum Ad, si in toto rigore loquamur, non est actus essentia seu subiecti, quia actus est per ordinem ad subiectum, & relatio secundum Ad est totaliter ad terminum. Ad secundum: Respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam. Quia latius patet res quam perfectio: perfectio enim consequitur ad ens participialiter sumptum, id est ad ens dicens ordinem ad existentiam; res verò ad ens nominaliter sumptum. Hac ratione obiectum intellectus est res & ens; & tamen non dicit bonitatem, sed ab illa præscindit. Item mathematica sunt entia & res; & tamen vt talia non sunt bona, vt docet D. Thomas supra quæst. 5. art. 3. ad 4. Per quod constat ad tertium: Quia perfectio non consequitur ad quemlibet integritatem formalem; vt liquet in exemplis proxime adductis, & in peccato sub ratione malitia.

68 Ad ultimum dicimus, quòd relatio secundum expressum Ad præscindit à convenientia & disconvenientia, & solum convenientiam importat ratione impliciti, nimirum ratione natura divina. Ad probationem ibi inclusam dic, quòd ex diverso capite habet paternitas constituere Patrem essentialiter, & connaturaliter: nam à seipsa habet illum constituere essentialiter, & à natura connaturaliter. Inter quæ hoc est discrimen, quòd constituere præcisè non exprimit perfectionem nisi in prædicatis absolutis, quamvis constituere connaturalissimè exprimat perfectionem, quia est per ordinem ad subiectum. Nec est novum in Theologia, & Philosophia, quòd constitutio utcumque proveniat ab vno capite, & connaturalitas ab alio: vt patet in receptione gratia, quæ quoad essentialia non dependet à dispositionibus, & quoad connaturalia dependet ab eis: idemque contingit in receptione forme ignis. Et quamvis in his exemplis dispositio se habeat de connotato ad connaturalem receptionem formæ; essentia verò divina requiritur in recto ad

Paul. Thol. Salm. Tom. II.

constitutionem connaturalem personæ. Quod ex eo colligitur, quia dispositio gratia, aut forma substantialis non includitur per transcendentiam in eis; & sic effectus formalis substantialis, qualis est receptio connaturalis forme substantialis nequit formaliter provenire à dispositione: Natura verò divina includitur essentialiter in relationibus; & sic nihil ei obstat, vt connaturalitas in constituendo proveniat in recto ab ipsa natura.

69 Arguitur quartò: (& erit replica contra dicta) Nam etsi in Filio non esset tanta perfectio, ac est in tribus personis, adhuc salvaretur summa æqualitas in personis: ergo ex hoc capite non repugnat, quòd relatio dicat propriam perfectionem relativam. Antecedens probatur à paritate: Nam etsi in Filio non sit entitas & realitas, quæ est in tribus personis, & simul infinitas, adhuc salvatur summa æqualitas in entitate, realitate, & infinitate: ergo etiam summa æqualitas in perfectione.

Nec refert dicere, quòd ratio summi & ratio æqualis in Deo non fundatur in conceptu entitativis, sed perfectionis. Non (inquam) refert, quia hoc est petere principium.

Respondetur tamen, suscipiendo solutionem inter argumentum datam. Quia, vt docet D. August. lib. 6. de Trinit. cap. 8. & lib. 8. cap. 1. *In his, quæ non mole magna sunt, hoc est minus esse quod melius esse*: Et ideo D. Thomas infra quæst. 42. art. 4. asserit, quòd magnitudo, seu æqualitas non attenditur penes relativum, sed penes absolutum. Ex quo duo colliguntur: primum, quòd æqualitas absolute prolata stat pro perfectione; ideoque vel relatio non afferat propriam perfectionem, vel Spiritus sanctus non esset æqualis absolute & simpliciter tribus personis. Secundum est, quòd eòd in tribus personis datur plus entitatis, realitatis, & infinitatis, quam in vnica tantum persona, solum salvatur in æqualitas in formalitatibus non dicentibus perfectionem, sed verò in perfectione.

70 Arguitur quintò: Nam mysterium Trinitatis dicit infinitam perfectionem; sed hoc mysterium dicit in recto relationes: ergo hæc esse afferunt proprias perfectiones. Maior est expressè SS. PP. vt constat ex illo N. Cyrilli lib. 2. Theauri cap. 1. vbi ait: *Non potest esse perfectio divinitatis, nisi Filium habeat.* Et ex illo D. Thomæ quæst. 9. de Pot. art. 5. ad 23. vbi inquit: *Ad perfectionem divinitatis pertinet, vt sint plures modi existendi in divinis: non enim esset omnimoda perfectio in divinis, nisi esset processio Verbi, & Amoris.* Nec refert, si dicas, quòd omnis perfectio Trinitatis est ratione impliciti, id est natura divina, quæ petit infinite communicari. Non (inquam) refert. Tum, quia non esset perfectio in natura divina se infinite communicare termino illi, qui ex se non afferat perfectionem: siquidem exigentia ali-



cuius termini nequit esse perfectio, nisi terminus in se perfectio sit. Tum etiam: nam si naturam divinam se communicare tribus suppositis maxima perfectio est, etiam rem exigere talem naturam nequit non esse maxima perfectio.

Respondetur, sustinendo solutionem inter arguendum darum, quæ reverà optima est: Nam mysterium Trinitatis maxima perfectio est; sed hæc non aliunde provenit nisi à natura divina, itaut si decisset ei communicari tribus personis, decisset ei maxima perfectio; quin ex hoc arguatur, Trinitatem addere aliquam perfectionem essentia. Ad quod explicandum adfunt duo exempla: primum est omnipotentia: quæ, ut connectitur cum possibilibus, dicit maximam perfectionem, itaut, si auferretur aliquid possibile, decisset ei maxima perfectio; quin ex hoc arguatur, possibilia dicere perfectionem. Secundum est ens: ad cuius perfectionem spectat se communicare vero; & tamen verum ut tale non addit enti aliquam perfectionem. Per quod constat ad utranque probationem.

## §. VII.

*Ultimum fundamentum sententia contraria.*

74 **A**rguitur *ultimò*: Personalitas Verbi divini secundum proprium conceptum dicit perfectionem; sed eadem ratio est de alijs personalitatibus: ergo cum hæc consistant in recto in relationibus, manifeste inferitur, hæc dicere propriam perfectionem. Maior probatur: Tum, quia continet eminenter substantiam creatam; sed hæc importat propriam perfectionem: ergo etiam personalitas Verbi divini. Tum etiam: quia eo ipso, quod terminet immediatè humanitatem, seipsam immediatè communicat, quod est proprium bonitatis munus. Tum denique: quia alias perfectior esset substantia creatam, quam divina. *Ad id*: Quia personalitas Verbi plures effectus tribuit humanitati, quos sine infinita perfectione conferre non valet, ut est illam sanctificare, impecabilem reddere, eius opera infinite condignificare, & Christum filium naturalem Dei constitutere, & alia huiusmodi.

Et confirmatur: Nam personalitas Verbi prout ab essentia distincta terminat amorè Dei: ergo prout sic dicit peculiarem bonitatem. ¶ Nec obeit dicere, amari ratione bonitatis essentia, quam includit: sicut adoratur humanitas Christi Domini adoratione latrice, non quia intransitive sit dignitas aut excellentia Dei, sed quia per eam dignificatur. Non (inquam) obeit: Siquidem relationem includere essentiam non sufficit, ut reipsa ametur, nisi alias dicat pecu-

liarem amabilitatem: sicut formale peccati, etiam includat materiale peccati, quod Deus causat, & diligit, non diligitur à Deo, quia non importat ex se bonitatem.

73 Ad argumentum respondetur negando mai. cuius nulla ex probationibus evincit. *Non prima*: Nam licet personalitas Verbi contineat eminenter substantiam creatam, non tamen continet ratione sui ut ex proprio personalitatis relativæ munere omnes eius formalitates, seu expressiones. In personalitate enim creata & datur manus terminandi naturam creatam, & datur manus reddendi illam sistentem in se, & datur manus perficendi naturam, quia absoluta est: Inter quæ munera hoc est discrimen, quod illa duo priora ex suo conceptu formali non expriment perfectionem: Quia cum reddere naturam sistentem in se, & illam terminare non sit proprium substantia absolute, sed etiam conveniat relativæ, non est, ut in his muneribus exprimat perfectio, cum de ratione perfectionis sit ad se, seu ad subiectum, quod ex diametro opponitur relationi secundum expressionem. *Ad*: Et hæc ratio nullum est inconveniens, quod personalitas Verbi contineat eminenter substantiam creatam secundum illa duo priora munera. Sed quia perfectio non provenit à substantia creata, quia præcisè substantia terminus nature est, sed quia absoluta, non potest illam continere eminenter ratione sui, sed ratione nature: sicut ratione sui nequit continere aliquod prædicatum absolutum, ut liquet ex terminis.

73 *Nec secunda*: Nam tunc communicare se est pro explicito perfectio, quando provenit à bonitate: prius enim est esse bonum in se, ut communicate se dicatur perfectio: sicut omnis effectus supponit suam causam. Igitur cum relatio ex sui speciali conceptu non afferat perfectionem; nec se communicare humanitati erit perfectio. At quia personalitas Verbi, dum se illi communicat, trahit secum tam formaliter, tum per transcendentiæ naturam divinam, quæ in seipsa maxima perfectio est, tantum inferri valet, quod ratione illius communicat perfectionem. *Neque tertia*: Quia ut aliquid sit perfectius alio, oportet, ut hoc sit perfectum, quia omne comparativum supponit positivum. Solum ergo potest inferri, quod personalitas creata est perfecta intra propriam lineam, secus verò divina: in quo nullum est inconveniens, sicut nec est in eo, quod illa sit de genere absoluto, & ista de genere relativo. Absolutè tamen loquendo, personalitas creata est imperfectior personalitate divina: tum, quia hæc dicit per transcendentiæ infinitam perfectionem essentia: tum & quia personalitas creata importat intra propriam lineam plurimas imperfectiones, personalitas verò divina caset omni imperfectione.

Ad

74 Ad additamentum respondetur, omnes illos effectus, & alios similes conferri humanitati formaliter & ut quo à natura divina; peronalitate verò applicative & ut quod. Ex quo non debet inferri aliqua perfectio in personalitate, sed tantum infallibilis exigentia & nexus cum sanctitate & perfectione divina essentia. Nec opus est rem magis declarare, nec aliquas replicas proponere, quia ex dictis à nobis 3. part. tract. 2. disp. r. satis constat.

Solum libet explicare breviter, qualiter se habeat personalitas Verbi in ordine ad omnes effectus humanitati communicatos: nam non eodem modo se habet ad omnes. Itaque dicimus, quod hoc quod est sanctificare humanitatem, eam Deo gratam reddere, & eius amore dignam, illiusque opera dignificare, communicatur ei defectò à personalitate, & natura modo explicato. Unde in hypothesi quod personalitas Verbi communicaretur illi, non communicata natura, non tribueret tales effectus nisi tantum exactivè.

Cæterum hoc quod est Christum filium Dei naturalem esse partim provenit formaliter à personalitate, & partim à natura: nam in prædicto complexo & datur conceptus filij præcisive sumptus, & datur conceptus filij naturalis Dei, & datur ipsa filiatio, prout tribuit ius ad hereditatem æternam. Si ergo filiatio consideretur quoad conceptum inadæquatam filiatiois, seu præcisive sumptum, formaliter & immediate provenit à personalitate; sicut quod Petrus sit filius utrumque, provenit præcisè à filiatioe. Sed quod Christus sit filius naturalis Dei, & habeat ius ad hereditatem paternam, hæc habet à natura divina formaliter: quia tantum ratione illius communicat cum Patre; sicut quod Petrus sit filius hominis, habet à natura humana formaliter, propter eandem rationem. Cum hoc tamen fiat, quod illa persona (in supra dicta hypothesi) diceretur divina, non formaliter sed tantum identice, quia alias subsistit in natura divina.

Tandem hoc quod est auferre peccatum ab humanitate, si illud inveniret, & illam constitutere impecabilem formaliter & immediate, licet indirectè, provenit à personalitate: quia peccabilitas in voluntate creata consistit in eo, quod sit facta ex nihilo, & simul subsistat in supposito creato, à quo etiam dependet conservatio peccati: Unde, sublato supposito creato, illa etiam modo dicto auferuntur. Sed non propterea debet dicere perfectionem: quia impecabilitas illa tantum esset negativa, ut est in lapide, & cadavere: impecabilitas enim directæ & positiva, quæ ex suo conceptu formali perfectionem importat, & est forma sanctificans formaliter, & simul facultas radicalis rectè operandi, solum potest provenire immediate à natura, modo explicato loco supra relato.

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

75 Ad confirmationem respondetur, admittendo solutionem inter arguendum datam, quam non everit impugnatio adhibita propter notam disparitatem inter relationem includentem naturam divinam, & formale peccati includens materiale. Nam relatio est obiectum materiale voluntatis divinæ & charitatis: cuius signum sufficiens est, relationem terminatè voluntatem divinam, ab eaque produci, nec dicere positivam oppositionem cum aliquo attributo divino. At formale peccati, etiam includat materiale, quod alias amatur à Deo, non est obiectum materiale voluntatis divinæ: propter oppositas rationes.

## §. VIII.

Corollaria.

76 **E**X dictis in hoc, & dub. precedenti facile inferes, quæ prædicata in divinis nequeant dici pluraliter. Sed ut hoc clarè demonstretur, præmittenda est regula generalis tradita à D. Thoma infra quæst. 36. art. 4. & 3. part. quæst. 3. art. 6. ad 1. & art. 7. ad 2. quam admittunt omnes eius discipuli, scilicet, quod ad multiplicationem concreti substantivi requiritur multiplicatio formarum & suppositorum, illa per modum rationis formalis, & illa per modum conditionis, itaut qualibet deficiente multiplicatio concreti deficiat. Quod exemplis potest ostendi: nam homo duplici veste vestitus, non appellatur *duo homines vestiti*, sed *unus*. Similiter persona divinæ habentes unam Deitatem non sunt tres Dii. Et Pater habens duas potentias activas non dicitur *duo principia*. Quia regula utitur in tract. de Incarnat. cum Div. Thoma ad probandum, quod si Verbum assumeret duas humanitates, non diceretur nisi *unus homo* deficiente multiplicationis supposito. Et si omnes personæ divinæ assumerent eandem humanitatem similiter non diceretur *plures homines*. Unde, ut traditur in summis cap. de Appellatione, ad verificandum hanc propositionem, *Uideo tres homines*, debent dari tria supposita habentia tres humanitates. Quia regula præmissa, facillimè intelligitur, non dari in divinis tres Bonos, aut tres Sanctos substantivè: quia, ut constat ex dictis, non multiplicatur in Deo bonitas aut sanctitas, quæ est forma constituens concretum boni & sancti.

77 Colligitur ergo *primò*, dari verè in divinis tres res realiter distinctas, & tres entitates. Et ratio est: quia nomen *rei* significat absolute & simpliciter quamlibet realitatem prout distinctam ab ente rationis; sed in divinis sunt tres realitates realiter distinctæ inter se, cum dantur tres personæ distinctæ: ergo dantur tres res. Videatur D. Thomas infra quæst. 39. art. 3. ad 3. Ex quo probatur, dari in divinis tres

H 2

vni-



vnitates: siam vnitas consequitur ad realitatem, seu consistit in ea prout est indivisa in se, & diuisa a qualibet alia; sed realitas cuiusvis personę est indivisa in se & diuisa ab alia: ergo sunt tres vnitates. Nec propter hoc debent dari tres quidditates: quia hoc nomen *quidditas* absolute & simpliciter significat essentiam, vt tradit D. Thomas in 1. dist. 25. quest. 1. art. 4. ad 2.

78 Colligitur *secundo*, quod ens non prædicatur pluraliter substantiue. Pro quo observandum est, quod ens potest sumi tripliciter: primo & præcipue prout significat existentiam, vt tradit D. Thomas in 1. dist. 25. quest. 1. art. 4. & ibidem ad Ann. Secundo prout significat entitatem, quę est principium essendi: in quo sentu Concilium Lateran. cap. 2. dixit, Patrem totam suam entitatem dedisse Filio: quod alij PP. docuerunt. Tercio quatenus significat entitatem prout contrapositam nihilo: quę significatio est minus propria præcedentibus, & non nisi cum addito potest illam significare. Corollarium hoc debet intelligi de ente duobus prioribus modis accepto. Et probatur breuiter ex dictis: nam ad multiplicationem nominis substantiui requiritur multiplicatio formatum; sed forma significata nomine *entis* duobus prioribus modis non multiplicatur in Deo, cum solum sit vnica existentia, & vnica essentia, quę est principium existentie: ergo, absolute & simpliciter loquendo, non potest admitti in Deo tria entia substantiua. Cum quo recte coheret, quod ens, prout opponitur nihilo, potest dici pluraliter substantiue, quia prout sic multiplicatur realiter, sicut realitas, persona, & relatio.

79 Colligitur *tertio*, in Deo non esse tria *aliquid*, prout est vna ex passionibus entis. Ita D. Thomas quest. 2. de *Potent.* art. 5. Ex cuius authoritate probatur: Nam *aliquid* in propria significatione idem est ac aliquid absolutum, & propterea distinguitur contra *ad aliquid*; sed prædicata absoluta non multiplicantur in Deo: ergo non dantur in Deo tria aliquid. ¶ Confirmatur: Nam *aliquid*, proprie loquendo, idem est ac *aliquid quid*; sed in Deo non datur, proprie loquendo, aliud & aliud, licet sit alius & alius, vel aliud & aliud suppositum, vbi ly *aliud* non sumitur proprie prout est passio entis: ergo &c. Videatur omnino D. Thomas loco citato.

80 Colligitur *quarto*, non dari in Deo nisi vnica veritatem essentialem & absolutam. Ita D. August. 8. de *Trinit.* cap. 1. vbi ait: *Trinum personarum est vna veritas*. Idem tradit Div. Thomas quest. 1. de *Verit.* art. 5. ad 18. ¶ Pro quo nota, veritatem esse duplicem: aliam formalem, quę consistit in actu intellectus, vel in adæquatione intellectus cum obiecto: vnde cum in omnibus personis datur idem actus intelligendi, plane sequitur, non dari nisi vnica veritatem formalem. In hoc omnes Authores conveniunt. Alteram transcendentalem, quę,

si est creata, consistit in adæquatione cum sua causa ideali: nam tunc est verus homo (v. g.) quando conformatur cum idea hominis existente in intellectu causę primę; & falsus, si ab ea disconuenit. Si est diuisa, nequit in alio consistere (vt ex se liquet) nisi in summa identitate cum proprio esse. Quapropter si omnes personę habent prorsus identificationem cum esse diuino, erunt prorsus eiusdem transcendentis veritatis. Quibus prænotatis.

Suadetur nostrum corollarium. Nam relationes diuinę habent eandem omnino adæquationem cum esse seu existentia diuina, per quam indiuisibiliter existunt; sed veritas diuina consistit in hac adæquatione: ergo non est in illis nisi vna veritas transcendentis. ¶ Confirmatur: Veritas transcendentis vel fundatur in existentia, vel in eitate dicente ordinem ad existentiam, ita expresse colligitur ex D. Thom. loco supra relato; sed in Deo non datur nisi vna existentia, & vnica entitas dicens ordinem ad existentiam: ergo.

81 Sed obijcies *primo* cum Vazquez, & Suario: Pater est verus Pater, & non verus Filius, idemque proportionabiliter verificatur de Filio: ergo habent distinctas veritates. ¶ *Secundo*: Relationes diuinę habent propriam immaterialitatem, cum non sint tantę immaterialitatis ac essentia diuina, vt tradunt N. Salm. tract. 3. disp. 3. a n. 36. ergo & propriam intelligibilitatem, & consequenter veritatem. ¶ *Tercio*: Nam veram præcedit ab existentia, vt constat in mathematicis & possibilibus: ergo ex eo quod relationes non dicant ex se ordinem ad existentiam, inepte colligitur non habere propriam veritatem. ¶ *Quarto*: Quia aliis attributa non haberent propriam veritatem, cum existant existentia essentia.

Ad primam obiectionem respondetur, quod sicut Pater est omnipotens Pater, & non omnipotens Filius, & Filius e contra, quia ex hoc arguatur, quod omnipotentia multiplicetur substantiue; ita de Patre potest prædicari, quod sit verus Pater, & non verus Filius, & de Filio e contra, quia ex hoc arguatur multiplicatio veritatis. ¶ Ad secundam respondetur, quod relationes esse habeant propriam immaterialitatem, hæc tamen non est illis, quę consistunt gradum, nec est principium essendi, sed reducitur ad immaterialitatem primariam diuinę essentia. Veritas autem propria non fundatur in quacunque immaterialitate, sed in ea, quę constituit gradum per se, & est principium essendi.

Ad tertiam respondetur, quod ad veritatem propriam alicuius rei, sufficit, quod dicat ordinem signatum, vel speculativum ad existentiam propriam naturalem, quo pacto possibilis fundant existentiam, vel ordinem practicum & exercitum ad existentiam propriam intelligibilem.

lem; quomodo sunt vera mathematicalia; & etiam possibilis; relationes verò diuine neutro modo.

Ad vltimam, quę longiori egobat solutione (misso modo dicendi aliorum) Respondetur, quod nec attributa, nec relationes habent aliam veritatem primariam nisi essentia, sicut nec aliam existentiam. Cum quo stat, quod attributa sint obiecta secundaria diuinę intellectiois relationibus præstantiora: tum, quia sunt magis intima essentia: tum, quia ob propriam modum absolutam & ad se fundant aliqualem veritatem, sicut & bonitatem propriam saltem secundariam; quod relationibus repugnat.

82 Sed nota, hucusque nos locutos fuisse de multiplicatione nominis substantiui, aut in abstracto: nam ad multiplicationem nominis adiectiui non requiritur multiplicatio formatum, sed sufficit multiplicatio suppositorum, quia non appellat supra formale, sed supra materiale: vt si dicas, *ideo duo alba*, sensus est, *Video duo subiecta habentia albedinem*, essetque propositio vera, esse eadem numero albedo, in fer in duobus subiectis. Unde istę sunt verę, *In Deo sunt tres diuini*: idemque dicendum foret de hac, *Sunt tres omnipotentes*, aut *tres eterni*. Vide Summulas loco citato. Nec refert, quod Athanasius negat tres omnipotentes. Quia assumit nomen adiectiuum in vi substantiui: quod nonnunquam contingit, vt ait D. Thomas in 1. dist. 9. quest. 1. vbi tangit hanc scrupulam, & illum hoc modo dispellit.

Nec alienum erit ab hoc loco assignare aliam regulam pro prædicationibus diuinis necessariam, quam tradit D. Thomas infra quest. 39. art. 4. vbi ait, quod concreta essentialia, vt Deus, esse possint supponere pro personis, & de illis prædicari, illorum tamen suppositio limitatur, vt supponat aliquando pro vna tantum; vt in ista, *Deus generat*, quę supponit præcisè pro Patre; aliquando pro duobus, vt in ista, *Deus spirat*, quę supponit pro Patre & Filio; & aliquando pro tribus, vt in hac, *Regi seculorum: soli Deo honor &c.* quę supponit pro omnibus. In quibus attenditur ad terminum adiunctum. Nota tamen, hanc regulam non tenere in prædicationibus negatiuis: vt in ista, *Deus non generat*, quę absolute est falsa: quia, licet videatur supponere pro Filio, de illoque verificetur, nihilominus ratione negationis distribuitur, & totum negat.

Nec regula, quam statuimus pro concretis, debet verificari de abstractis: quia abstracta essentialia nequeunt supponere pro personis. Unde prædicatio hæc, *Essentia generat*, inquit Mag. Angel. loco citato art. 5. est falsa, & similis ei, quę prescripta est vt hæretica in 1. Concilio Tolet. per hæc verba: *Si quis dixerit, aut crediderit Deitatem esse nascibilem, anathema sit.*

Prædictis duabus regulis affinis est alia, & consistit in hoc, quod ea, quę conueniunt personis diuinis ratione solius essentia, & singulariter tantum dicantur, vt Deus, Ea, quę eis conueniunt ratione proprietatis, dicuntur præcisè pluraliter, vt persona. Tandem ea, quę conueniunt ratione essentia & proprietatis, partim singulariter, & partim pluraliter dici possunt, vt *res* quod nomen eque conuenit essentia & relationi: potest enim dici non dari in Deo nisi vnica rem, quia non datur nisi vnica substantia & essentia, & pro illa supponeret: possunt etiam dici *tres res*, quia tunc suppositio esset pro personis.

## DISPUTATIO III.

## De Personis Diuinis.



UIA personę diuinę relationibus consistuntur, rectus ordo procedendi exigit, vt postquam egimus de relationibus, tractemus de personis ab ipsis relationibus constitutis. Sed vt excusetur à repetitione plurium ad intelligentiam personę satis conducentium, recolantur, quę docent N. Comput. abbrev. de *Gener.* disp. 15. ferè per totam, & præcipue à num. 4. quę amplius elucidant N. Salm. tract. 21. disp. 8. dub. 1. vbi plura de natura, substantia, & existentia accurate docent.

## DUBIUM I.

An ratio Personę reperiatur proprie in Deo? Quodnamque sit significatum huius nominis Persona diuina?

DUAS difficultates præfert titulus propositus, in quibus simul absoluitur duplex questio an est, & quid est personę diuinę. Sed in limine huius disputationis oportet permittere definitionem personę in communi, illamque explanare.

## S. I.

## Expositio definitionis Personę.

Supponendum est, personam in communi recte sic defini: *Rationalis nature individua substantia*. Hanc definitionem, quę primò tradita est à Boëtio, amplectuntur D. Thomas in præf. quest. 29. art. 1. & communiter Scholastici, maxime si ad maiorem eius explicationem addatur cum Richardo à Sancto. Victore alia particula, nempe *incommunicabilis*, seu *incommunicabiliter subsistens*.